

Sed tamen adspiceres vellem, quod et ipse rogabas:  
 Adspiceres sponsae languida membra tuae!  
 Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti,  
 230 Tu veniam nostris vocibus ipse petas.  
 Ne tamen ignores: ope qua revalescere possim,  
 Quaeritur a Delphis fata canente deo;  
 Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,  
 Neclectam queritur testis habere fidem.  
 235 Hoc deus, hoc vates, hoc et mea carmina dicunt:  
 A! desunt voto carmina nulla tuo!  
 Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte repertast  
 Quae capiat magnos littera lecta deos . . . . .  
 Teque tenente deos partis sequor ipsa deorum  
 240 Doque libens victas in tua vota manus . . . . .  
 Fassaque sum matri deceptae foedera linguae  
 Lumina fixa tenens plena pudoris humo.  
 Cetera cura tuast: plus hoc quoque virgine factum,  
 Non timuit tecum quod mea charta loqui.  
 245 Iam satis invalidos calamo lassavimus artus,  
 Et manus officium longius aegra negat.  
 Quid, nisi quod cupio me iam coniungere tecum,  
 Restat? ut adscribat littera nostra 'vale'.\*

## EPISTULA SAPPHUS.

## SAPPHO PHAONI.

[XV.] Ecquid, ut adspectast studiosae littera dextrae,  
 Protinus est oculis cognita nostra tuis?  
 An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,  
 Hoc breve nescires unde movetur opus?  
 5 Forsitan et quare mea sint alterna requiras  
 Carmina, cum lyricis sim magis apta modis.  
 Flendus amor meus est: elegi flebile carmen;  
 Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.  
 Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris  
 10 Fertilis accensis messibus ardet ager;